Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38173
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

conprobantur inueritate · sic in patriarchae
iacob benedictione declaratur · Iuxta quod
ipse ait dicens · Non auferetur sceptrum de iuda
et celera · quae in figura xpi pdicta fuerant · sed ia
inueritate creduntur completa · Si enim de futuro
uerum non dixisset · de preterito quod certum scrip
serit, nemo credere uoluisset; Necnon etiam inter-
rogatur, ubi Moyses libros suos aediderit;
DICUNT ENIM NONNULLI
Quod genesim et exodum usque cantemus dno
In aegypto conscripserit · celera uero in solitu
dine · ALII UERO ASSERUNT · Quod tran
sito mari rubro per quadraginta annos inde
serto descripserit · quod et ratione conprobari
potest; haec enim scire uolentibus pauca dicta
sufficiant · Nunc dno fauente ad hystoriae
seriem transeamus; AIT ENIM MOYSES;
IN PRINCIPIO CREAUIT DS CAELUM ET TERRAM · v. 1.
Primum notandum quod mox scriptura primo
uerbo aeternitatem atque potentiam dei crea
toris ostendit · quem enim in principio tempo-
rum mundum creasse perhibet · ipsum profecto